



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 80. Condæi Principis postulata ad Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Belliduces persisteret, aut omnibus regi-
 viribus in discrimen adductis re-
 gno exitium immineret, eapropter ut-
 rinque pacis articuli proponebantur,
 moxque Regina die tertia Octobris Ho-
 spitalium Cancellarium, Morvillerium,
 & San - Sulpitium ad sancti Dionysii
 oppidum ablegabat, ut quædam con-
 cordiæ pacta rebellium Ducibus propo-
 nerent. Itaque Hospitalius post multa
 colloquia de præsentium temporum ca-
 lamitatibus ultro, citroque habita, Regi
 eam esse voluntatem coram Condæo
 Principe affirmabat, ut per universum
 Regnum pax restituatur, quam in rem
 præteritorum oblivionem ab eo pro-
 mulgandam dicebat.

Sæcul. XVI.
 A.C 1567.
 La Popel.
 l. 12.
 Thuan. l. 42.

§. LXXX.

*Condæi Principis postulata ad
 Regem.*

Cum Condæus Princeps minime hac
 ratione sibi, ac sociis satisfieri re-
 spondisset, Hospitalius rogavit, ut,
 si quid præterea haberet, quod a Rege
 peteret, libere exponeret; ad hæc Prin-
 ceptus Condæus tum nihil respondit, uni-
 ce asserens, quod nonnisi scriptotenus
 mentem suam declarare posset, quibus
 dictis mox abiit: altera autem die
 Princeps scriptum suum responsum de-
 dit, cujus capita hæc erant. I. Rex
 ad

Sæcul. XVI. ad tollendas a Protestantibus conceptas
A.C. 1567. suspiciones, fidemque publice facien-

dam, quod nulla in ipsius animo alienatæ voluntatis nubes resideat, externas copias quamprimum a se dimittat. II. Condæum Principem, & Proceres, qui cum eo sunt, armis depositis ad se accedere jubeat, supplicum querelas benigne auditurus. III. In calumniarum fabricatores severe animadvertat. IV. Edictis in Protestantium gratiam factis, quæ per interpretationes, & super iis factas declarationes enervata fuere, auctoritatem, vimque restituat. V. Pacem Regno, suorumque subditorum conscientis libertatem reddat, eisque passim suam sectam profitendi licentiam concedat. VI. Officia, dignitates, honores, Magistratus æquali jure nullo Religionis discrimine inter suos, qui modo iis digni reperirentur, dividat. VIII. Populum a tributis, quæ Itali in Aula auctoritate pollentes imponebant, atque inhumana crudelitate a rusticis vigesies plus, quam iidem Regi præbent, exigebant, penitus liberet. VIII. Denique tranquillitati publicæ optimis remediis consulatur, atque universi Regni comitia more majorum libera primo quoque die habeat.

§. LXXXI.